

www.e-rara.ch

Biblia Veteris ac Novi Testamenti

Pagnini, Sante

Basileae, 1564

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1502>

Prophetia Baruch, Barouch

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

- diore erant lacte, rubicundiores erant corpore quàm gemmæ, sapphirus erat excisio eorū.
- 8 ¶ At nunc obscurior est nigredine forma eorū, non sunt agniti in platéis: adhæret cutis eorū osibus eorum, aret tanquam lignum.
- 9 ¶ Fœliciores fuerūt interfecti gladio, interfectis fame: quòd isti fluxerūt perfossi propter defectum fructuum agrorum.
- 10 ¶ Manus mulierum misericordium coxerūt natos suos, qui fuerunt eis in escam in contritione filiaē populi mei.
- 11 ¶ Compleuit Iehouáh indignationē suam, effudit furorem iræ suæ: & succendit ignem in Siión, qui consumpsit fundamenta eius.
- 12 ¶ Non credebant Reges terræ, vniuersique habitatores orbis, quòd ingrederetur hostis & inimicus per portas Ierusalem.
- C 13 ¶ Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum,
- 14 ¶ Vacillarunt ut cæci in platéis, polluti sunt sanguine, ut non possent accedentes contingere vestimenta eorum.
- 15 ¶ Discedite, immūdus sum, clamauerunt ad eos: Recedite, recedite, ne tågatis: quia inquinati erant, etiam commoti: dixerunt in Gentibus, Non vltra inuolent.
- 16 ¶ Ira Iehouæ diuisit eos, non vltra aspiciet eos: quòd faciem Sacerdotum non sint reueriti, senum non sunt miserti.
- 17 ¶ Adhuc nobis expectantibus defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, in expectatione nostra qua expectauimus Gêtem que seruare non potest.
- D 18 ¶ Venati sunt gressus nostros ne incederemus per platéas nostras: appropinquauit finis noster, completi sunt dies nostri, venit enim finis noster.
- 19 ¶ Velociore fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super mōtes persequuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.
- 20 ¶ Spiritus narium nostrarum Christus Iehouæ captus est in foueis eorum: in cuius, diximus, umbra viuemus inter Gentes.
- 21 ¶ Gaude & lætare filia Edóm, quæ habitas in terra Vys: etiam super te trāsibit calix, inebriaberis, & eris vomens.
- 22 ¶ Cōpleta est iniquitas tua, filia Siión, non addet ut transmigrare faciat te: sed visitabit ini-

quitatem tuam filia Edóm, discooperiet peccata tua.

ORATIO IEREMIAE.

CAPVT V.

- 1 R Ecordare Iehouáh quid acciderit nobis, aspice, & vide opprobrium nostrum.
- 2 Hæreditas nostra versa est ad extraneos, domus nostræ ad alienigenas.
- 3 Pupilli fuimus absque patre: matres nostræ sunt veluti viduæ.
- 4 Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio venerunt.
- 5 Super collum nostrum persecutionē passi sumus: laborauimus, nō dabatur requies nobis.
- 6 Ægypto dedimus manum, & Assyrio, ut saturaremur pane.
- 7 Patres nostri peccauerunt, & non sunt, nos pœnas iniquitatum eorum portauimus.
- 8 Serui dominati sunt nobis, non fuit qui liberaret è manu eorum.
- 9 Cum discrimine vitæ nostræ afferebamus panem nostrum propter gladium deserti.
- 10 Pelles nostræ tanquam clybanus denigratæ sunt propter exustiones famis.
- 11 Mulieres in Siión afflixerunt, & virgines in ciuitatibus Iehudáh.
- 12 Principes manu eorum suspensi fuerunt, facies senum non honorauerunt.
- 13 Iuuenes ad molendum tulerunt, & pueri in ligno corruerunt.
- 14 Senes de porta cessauerunt, iuuenes à cantico suo.
- 15 Cessauit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.
- 16 Cecidit corona capitis nostri: væ nūc nobis, quia peccauimus.
- 17 Propterea mœstum fuit cor nostrū, propter ista obtenebrati sunt oculi nostri.
- 18 Propter montem Siión, quòd desolatus sit, ita ut vulpes ambulent in eo.
- 19 Tu Iehouáh in seculum permanebis, solium tuum in generatione & generatione.
- 20 Ut quid in perpetuum obliuisceris nostri, dereliques nos in longitudinem dierum?
- 21 Conuerte nos Iehouáh ad te, & conuertemur: innoua dies nostros sicut ab initio.
- 22 Sed reprobando reprobasti nos, iratus es contra nos vehementissimè.

Prophetia Baruch. Βαροὺχ

NOVA EX GRÆCO TRALATIO.

CAPVT I.

1 Baruch tēpore quo deuastata est Ierusalem, scripsit librū, quē legit coram Rege Iechonia, & vniuerso populo. & Mittit Iudæi librū cum pecunia in Ierusalem ad reliquos fratres, ut pro ipsis orent.



1 Hic sunt sermones libri quē Baruch natus Neria filio Maasæ filij Sedeciaē nati ex Afodia Helcię filio, scripsit Babylone,

2 Anno quinto, septima die, eo tēpore quo Chal-

dæi ceperunt Ierolymani, ignique succenderunt.

- 3 Et legit Baruch sermones huius libri, audiente Iechonia Ioacimi Regis Iuda filio, omni que populo, qui ad audiendum librum conuenerat,
- 4 Audientibus item proceribus, Regū que filiis atque senioribus, audiente denique omni populo, ab infimo vsq; ad summum eorū omnium qui Babylone habitabant ad fluuiū Sud,
- 5 Qui plorabant ac ieiunabant, & preces adhibebant coram Domino.
- 6 Conferebant autem pecuniam pro vt facultas vniuscuiusque patiebatur:
- 7 Quam

7 Quam miserunt Ierosolymam ad Ioachim sacerdotem filium Helciae filij Salomi, & ad Sacerdotes, omnemque populum qui inuentus fuit cum eo Ierosolymis:

8 (Quum is quidem vasa domus Domini, quae ex templo exportata fuerant, vasa argentea, quae facienda curauerat Iosia filius Rex Iudae Sedecias, in Iudaeam restituenda recepit, & decima die mensis Siuan.)

9 Posteaquam Nabuchodonosor Rex Babylonis Ierosolymis abduxit Iechoniam, & Principes, ac potentes viros, populumque, atque eos Babyloniem traduxit:

10 Et dixerunt, Ecce misimus ad vos pecunias, in quibus holocausta pro peccatis expiandis componetis, & thus munusque conficiatis, atque ad aram Domini Dei nostri offeratis:

11 Atque oretis pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonij, eiusque filij Balthasar, ut dies eorum in terra diuturnitate diebus caeli respondeant:

C 12 Et dabit Dominus nobis fortitudinem, oculosque nostros illuminabit, & viuemus sub umbra Nabuchodonosor Regis Babylonij, ac sub umbra Balthasar eius filij, & seruiemus eis diebus multis, gratiamque apud ipsos consequemur.

13 Deinde pro nobis ipsi Dominum Deum nostrum orate, propterea quod Domino Deo nostro peccauimus, necdum ad hunc usque diem auersa est a nobis indignatio eius atque iracundia.

14 Legetis praeterea librum istum, quem ad vos misimus, diebus festis solennibusque recitandum in aede Domini.

Supra 2. b. 6 15 Et dicetis, Domino Deo nostro iustitia debetur: nobis vero vultus confusio, qualis est hodie in homine Iudae, atque in eis qui degunt Ierosolymis,

16 In Regibus nostris, in Principibus, in Sacerdotibus, in Prophetis ac Patribus nostris.

D 17 Quoniam peccauimus coram Domino, neque ei credimus,

Dam. 9. d. 5 18 Nec vocem eius audiimus, ut in iis praecipis, quae coram nobis palamque dederat, ambularemus.

19 Ab eo die quo Dominus eduxit Patres nostros e terra Aegypti, usque ad hunc diem, rebelles fuimus Domino Deo nostro, eiusque vocem audire pro nihilo duximus.

Deut. 28. b. 15 20 Quamobrem impacta sunt nobis mala & maledictio quam Dominus per Moysen seruum suum proposuerat, eo tempore quo Patres nostros eduxit e terra Aegypti, ut terra lacte melleque fluentem nobis daret, quemadmodum constat hodierno die.

21 Neque enim audiimus vocem Domini Dei nostri in iis omnibus quae sunt dicta a Prophetis quos ad nos misit.

22 Sed quisque cordis sui prauae cogitationem sequutus est, ut alienos coleremus deos, malaque in oculis Domini Dei nostri committeremus.

C A P V T II.

1 Propter peccata iussit se pati fatentur Iudaei. 22 Vult Dominus nos etiam principibus malis obtemperare. 31 Populum a Captiuitate se reuocaturum promittit Dominus, illique testamentum nouum & aeternum daturum.

1 Quapropter re comprobauit Dominus sermone suum, quem aduersum nos iu-

dicetisque nostros qui iudicauerunt Israel, tum aduersum Reges ac principes nostros, omnes denique Israelitas ac Iudaeos pronuntiavit:

2 Ut nobis magna importaret mala cuiusmodi nulla in regione, quae sit sub caelo, nunquam euenerunt, quemadmodum designata sunt Ierosolymis, quae plane responderunt iis quae scripta fuerant in Lege Moysi,

3 Ut carnem filiorum suorum, & carnem filiarum suarum quidam ex nostris hominibus comederent.

4 Praeterea dedit eos in manum, seruitutemque regnorum omnium, in dique nobis conterminorum, ad opprobrij turpitudinem, atque desolationem in omnibus populis in circuitu nostro positis in quibus eos dispersit Dominus.

5 Atque ita depressi sunt, ac non euecti: quoniam peccauimus Domino Deo nostro, eo quod vocem eius non audiimus.

6 Domino Deo nostro iustitia: nobis autem vultus confusio debetur, qualis apparet hodie.

7 Quae in nos Dominus mala denuntiavit, ea nobis euenerunt omnia.

8 Neque tamen faciem Domini deprecari sumus, ut a sui quisque cordis prauae cogitationibus recederet.

9 Et propterea euigilauit Dominus in hisce malis quae induxit super nos: quoniam iustus est Dominus in omnibus suis operibus quorum nobis mandata dedit.

10 Neque vocem eius audiimus, ut ambularem in praecipis ipsius, quae nobis ante oculos proposuit.

11 Et nunc Domine Deus Israel, qui populum tuum eduxisti e terra Aegypti in manu valida, in signis & prodigiis, magna cum potentia, ac brachio excelso, nomenque tibi, quale hodie apparet, peperisti:

12 Et nos quidem Domine Deus noster peccauimus & impietate egimus, atque in tuis omnibus iudiciis scelerate versati sumus.

13 Sed tua a nobis auertatur indignatio, quoniam reliqui sumus perpauca inter Gentes ad quas tu nos dispersisti.

14 Exaudi Domine orationem atque deprecationem nostram, & propter te nos libera, gratiamque nobis concilia apud eos qui nos e patria abduxerunt:

15 Ut vniuersa terra cognoscat te Dominum Deum esse nostrum, nomenque tuum fuisse inuocatum super Israel, ac super genus eius.

16 Respice nos Domine ex aede Sanctuarii tui, atque ad nos attende, inclina aurem tuam, & exaudi.

17 Aperi oculos tuos Domine: quoniam non mortui qui sunt apud inferos, quorum visceribus ablatus est spiritus, gloriam laudemque iustitiae Domino tribuent:

18 Sed super magnitudine corporis quae incurua debilitataque incedit, animus moestus, & oculi deficientes, anima que esuriens gloriam & iustitiam Domine tibi dabunt.

19 Neque enim recte factis Patrum, Regumque nostrorum freti, Domine apud te supplices miserabilesque preces nostras effundimus:

20 Sed quoniam indignationem atque iram tuam in nos immisisti, quemadmodum tu

Deut. 28. f. 53

B

Supra 1. c. 15

Deut. 28. f. 53

Dan. 9. d. 15

C

Deut. 26. d. 15

Esa. 63. d. 15

D

Psal. 113. d. 17

- manu seruorum tuorum Prophetarū loquutus fueras,
- 21 Dicens, Sic ait Dominus, Inclinate humerū vestrum, ac Regi Babylonio seruite: & sedem retinebitis in terra, quam Patribus vestris dedi.
- Ierc. 29. d. 27* 22 Quod si vocem Domini audire nolueritis vt seruiatis Regi Babylonio, faciā vt ex vrbibus Iuda atque Ierosolymis
- 23 Vox lætitię & vox gaudii, vox sponsi & sponsę profligetur, terraque tota sit ab habitatoribus planē deserta.
- 24 Nos autem non audiimus vocem tuam, vt obsequium seruitiūmq; Regi Babylonio præstaremus: itaque re ipsa verba tua comprobasti quę loquutus fueras per manum seruorum tuorum Prophetarum: videlicet vt ossa Regū Patrūque nostrorum suo ex loco translata aliō deportarentur:
- F** 25 En eadem ad ardorem Solis, glaciēque noctis proiecta iacent: illique acerbissimis doloribus, fame, gladio, atque exilio interierunt.
- 26 Domum autem tuam, in qua inuocatum est nomen tuum, redegisti eum in statum quem hæc dies ostendit, propter prauitatem domus Israel & domus Iuda.
- 27 Et tu Domine Deus noster egisti nobiscum secundum benignitatem tuam, summāque misericordiam,
- Leui. 26. b. 14* 28 Quemadmodum per Mosen seruum tuum *Dent. 28. b. 15* restatus es eo die quo Legem tuam iussisti coram filiis Israel perscribere,
- 29 Dicens, Nisi vocem meam audiueritis, hæc tanta hominum multitudo, quæ quasi examen apum bombat, ad summam paucitatem redigetur inter Gentes, ad quas ego vos dispergam:
- 30 Scio enim quod me quidem non audient, quoniam sunt populus duræ ceruicis, sed in terra captiuitatis suæ ad cor suum reuertentur:
- G** 31 Et tum denique cognoscent quod ego sum Dominus Deus ipsorum: & dabo eis cor ut intelligant, & aures vt audiant.
- 32 Et laudabunt me meique nominis recordabuntur.
- 33 Atque illud suum contumax deponent dorsum, improbāque facinora abiicient, quum in memoriam reuocabunt viam Patrum suorum qui coram Domino peccauerunt.
- 34 Et reducam eos in terram quam iureiurando promisi Patribus eorum Abraham, Isaac, & Iacob, vt ea potiantur: tum etiam eos multiplicabo, nec diminuentur.
- 35 Fœdusque cum eis perpetuum constituam, vt sim eis in Deum, ipsique vicissim sint mihi in populum: neque amplius populum Israel è terra quam eis dedi, amouebo.
- CAPVT III.
- 1* *Pergit populus in oratione iā incepta, pro sua liberatione. 9* *Cōmendat populo prudentiam, ostendens ob neglectū eius, tanta mala illi obtigisse. 31* *Solus Deus sapientiæ adinuentor. 38* *De Christo incarnato.*
- D**omine omnipotens Deus Israel, anima in angustiis posita, & spiritus angore afflictus ad te clamat.
- 2 Audi Domine, & miserere, quoniam tu misericors es: miserere inquam, quoniam peccauimus aduersum te.
- 3 Tu enim in æternum permanes, nos verò perimus in perpetuum.
- 4 Domine omnipotēs Deus Israel audi quæso preces mortuorum Israel, filiorūque qui peccauerunt in te, nec vocem Domini Dei sui audiuerunt, propterea nobis hæc mala adhaeserunt.
- 5 Iniquitates Patrum nostrorum in memoriā ne reuoces, sed memor sis manus tuæ, nominisque tui in hoc tempore:
- 6 Quoniam tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te Domine.
- 7 Nam ideo timorem tui cordibus nostris iniecisti, vt nomen inuocemus tuum, ac te in exilio nostro collaudemus, vt qui Patrum nostrorum qui coram te peccauerunt, omnem iustitiam in memoriā & cogitationem nostram reduximus.
- 8 Ecce nos hodie in exilio nostro, sumus opprobrio, execrationi, exactiōique obnoxii, iuxta omnes iniquitates Patrum nostrorum, qui à Domino Deo nostro defecerunt.
- 9 Audi Israel præcepta vitæ, atque ad prudentiam cognoscendam aures præbere.
- B** 10 Quid est Israël quod in terra inimicorum degis?
- 11 In aliena terra inueterasti, cum mortuis pollutus es, atque inter eos numeratus qui descendunt in infernum.
- 12 Fontem Sapientiæ reliquisti.
- 13 Nam si viam Dei tenuisses, in pace vixisses sempiterna.
- 14 Disce vbinam prudentia sit, vbi fortitudo, vbi sit intelligentia? vt cognoscas simul vbi longinquitas vitæ, atque adeo vita ipsa & lux oculorum, ac pax sita sit.
- 15 Quis inuenit sedem eius, aut in illius thesauro quis vnquam introiuit?
- 16 Vbi sunt Principes Gētium, & hi qui bestiis terræ dominantur?
- 17 Qui aubus cæli ad ludos iocōsque suos abutuntur, qui recondunt thesauros argenti, atq; auri quo homines maximè confidunt, nec vllū acquirendi finem faciunt.
- 18 Argenti enim pecuniæque fabricatores, qui ea summa cura sollicitudinēque parant, quæ ne cogitatione quidem comprehendī possunt,
- 19 iam euauerunt, ad inferōsque descendunt, alique in eorum locum successerunt.
- 20 Iuuenes quidem hanc lucem aspexerunt, atque habitauerunt super terram: viam verò scienciæ non cognouerunt,
- 21 Neque intellexerunt semitas eius, nec filij eorum eam sunt amplexi, longè ab ea abfuerunt.
- 22 Neque verò in terra Chanaan audita est, neque in Theman visa:
- 23 Nec etiam filij Agar prudentiam in terra exquirentes, nec Meran, Themanque negotiatores, nec fabularum interpretes, cæterique prudentiæ conquisitores viam sapientiæ cognouerunt, nec in memoria semitas eius habuerunt.
- 24 O Israel quàm ampla est domus Dei, quàm longè patens locus habitationis eius?
- 25 Locus magnus est & infinitus, excelsus atq; immensus.
- 26 Ibi

26 Ibi fuerunt gigantes homines iam inde ab initio nobiles, ingenti corporis magnitudine præditi, rei que bellicæ scientissimi:

27 Veruntamen Dominus eos non elegit, neque viam scientiæ eis dedit: itaque perierunt.

28 Quoniam prudentia caruerunt, sua inquam imprudentia perierunt.

29 Quis ascendit in cælum, eamque adeptus est, aut eam è nubibus deduxit?

D 30 Quis traiecit mare, atque eam inuenit, ut inde eam potius quam aurum purissimū apportet?

31 Nullus est qui cognoscat viam eius, nec qui animo semitam illius comprehendat.

32 Cui nota sunt omnia, is eam cognoscit, suamque intelligentia illam inuenit, qui terram stabiluit in tempus sempiternum, eamque iumentis quadrupedibus impleuit.

33 Qui quum lucem emittit, ea progreditur: quum reuocat eandem, cum tremore ei obsequitur.

34 Stellæ verò suis in stationibus luxerunt, lætatiæque sunt.

35 Simulatque ab eo sunt vocatæ, dixerunt, Præsto sumus: ac cum lætitia suo luxerunt creatori.

36 Hic est Deus noster, neque est alius qui cum ipso comparetur.

37 Is inuenit omnem viam scientiæ, eamque seruo suo Iacob, & Israel dilecto suo dedit.

38 Ea postea in terra visa est, atque inter homines versata.

CAPVT IIII.

8 Legem tenentium merces, & spernentium penam. 5 Consolatio populi captiui. 10 Querimonia Ierusalem, & sub eius typo Ecclesia. 20 Eiusdem consolatio ob futuram ciuium suorum liberationem, quibus & salutis spes addit.

1 Hic est liber præceptorum Dei, & Lex in æternum duratura: quicumque eam apprehendunt, vitam ingredientur: qui verò dereliquerint eandem, morientur.

2 Conuertere Iacob, & apprehende eam, atque ad splendorem in lumine eius ambula.

3 Gloriam tuam alteri ne dederis, nec comoda tua genti alienæ.

4 Beati sumus o Israel: quoniam quæ placent Deo, fuerunt nobis declarata.

5 Bono animo esto popule mi, monumentum Israel.

6 Non estis venundati ut pereatis, sed quoniã Deum ad iracundiam prouocastis, idcirco in potestatem hostium traditi estis.

B 7 Exacerbastis enim eum qui vos creauit, dæmoniis sacrificantes, & non Deo.

8 Obliti estis eius qui vos genuit Dei æterni, & Ierusalẽ quæ vos nutriuit, dolore affecistis.

9 Vidit enim vindictam à Deo vobis importatam, ac dixit, Audite finitimæ Sion, maximum in me luctum Deus induxit.

10 Vidi enim captiuitatem filiorum meorum ac filiarum, in quam Æternus eos coniecit.

11 Quos enim nutriui cum lætitia, eos cum fletu luctuque dimisi.

12 Nemo insultet mihi viduæ, à multisque deserta: quoniam desolata sum propter peccata filiorum meorum qui à Lege Dei deflexerunt.

C 13 Iudicia autem ipsius non cognouerunt, neque in viis mandatorum eius ambulauerunt, nec insisterunt semitis iustitiæ eius.

14 Finitimæ Sion adeste, ac memorate captiuitatem filiorum ac filiarum mearum, in quam Æternus eos induxit.

15 Adduxit enim in eos gentem è longinquo, gentem impudentem ac barbaram:

16 Homines qui neque senes reueriti sunt, neque puerorum miseri, qui à vidua dilectos ipsius abduxerunt, & desolatam filiabus orbauerunt.

17 Ego autem quid opis vobis possum afferre?

18 Qui enim induxit in vos hæc mala, is vos è manu inimicorum vestrorum eripiet.

19 Ire filij, ite: nam ego sola derelicta sum.

20 Exui autem vestem pacis: saccum verò deprecationis meæ indui, in his temporibus meis ad Æternum clamatura.

21 Bono animo estote filij, ac clamores vestros ad Deum tollite, qui vos è dominatu, manūque inimicorum vestrorum liberabit.

22 Ego enim iam à Deo sempiterno salutem vestram speraui, lætitiæque mihi à Sancto allata est propter misericordiam quæ ab æterno Seruatore nostro quamprimum vobis obueniet.

23 Nam vos quidem emisi cum luctu ac fletu, sed Deus vos mihi cum gaudio & lætitia in perpetuum restituet.

24 Ut enim vicinæ Sion modò viderunt captiuitatem vestram, ita breui videbunt salutem vestram à Deo allatam, quæ summa cum gloria atque splendore sempiterno vobis obueniet.

25 Filij, patienter ferte vindictam à Deo vobis illatam: te quidem inimicus tuus est persecutus, sed tu breui eius exitium videbis, atque impositus ceruici eius insultabis.

26 Delicati mei per vias asperas abierunt, quasi grex direptus ab inimicis sublatus sunt.

27 Confidite filij, ad Deumque clamate: qui enim vos in hanc fortunam conditionemque adduxit, is vestri quoque memoriam suscipiet.

28 Nam quemadmodum eò intentum habuistis animum, ut à Deo declinaretis: ita ad eundem conuersi, decies tanto magis ipsum quaerite.

29 Qui enim hæc mala vobis importauit, is quoque lætitiã sempiternam cum vestra salute coniunctam afferet.

30 Bono animo esto Ierusalem: is enim à quo es nominata, consolabitur te.

31 Miseros homines qui te vexauerunt, qui que casu tuo lætati sunt.

32 Miseras atque infelices ciuitates quibus filij tui serui erunt: miseram illam, quæ filios tuos accepit.

33 Ut enim in ruina tua gauisa est, & in casu tuo lætata: sic in sua solitudine mœrebit.

34 Atque exultantem eius frequentiam circumcidam, & in luctu ipsius gloriatiõem conuertam.

35 Ignis enim à Deo æterno in eam ad multa tempora immittetur, diuque à dæmoniis habitabitur.

36 Respice ad Orientem Ierusalem, atque aspice lætitiã ab ipso Deo tibi venientem.

37 Ecce filij tui quos dimiseras, adueniunt ab ortu usque ad occasum congregati, lætantes verbo sancti cum Dei gloria.

CAPVT V.

1 Inuitatur Ierusalem ad lætitiã ob reditum sui populi, & sub illius typo, Ecclesia.

- E**Xue vestem luctus, atque afflictionis tuæ
 1 **E**t Ierusalem, & indue decorem gloriæ quæ
 Deus sempiternam tibi tribuit.
- 2 Vesti te diploide iustitiæ tibi à Deo datæ,
 capiti tuo impone mitram eius honoris quo
 Deus æternus te ornare voluit.
- 3 Deus enim splendorem tuum omni nationi
 quæ sit sub cælo, declarabit.
- B** 4 Nam nomen tibi ab eo tribuetur sempiter-
 num, Pax iustitiæ, pietatisque gloria.
- 5 Excitare Ierusalem, atque in excelsis confi-
 steloco, respice ad Orientem, ac vide filios
 tuos collectos ab ortu solis vsque ad occasum,
 gaudentes in verbo Dei, memoriámque San-
 cti celebrantes.
- C** 6 Egressi enim sunt abs te pedib⁹ ducti ab ho-
 stibus: Deus autem eos cum gloria dignitatéque
 euectos, quasi regios filios ad te reduceret.
- 7 Constituit enim Deus mōtes, perennésque
 scopulos deiicere, ac valles complere in equa-
 bilem planitiem, vt Israel tutum iter cum glo-
 ria Dei habeat.
- D** 8 Syluæ etiam arborésque odore suauissimo
 fragrantés, suam Israeli vmbra præbebunt à
 Deo iussæ.
- 9 Deducet enim Deus Israelem cum lætitia in
 lumine gloriæ suæ, cum misericordia, & ea iu-
 stitia cuius ipse author cognoscatur.
- CAPVT VI.
- EXEMPLVM EPISTOLÆ QVAM
 Ieremias misit ad captiuos Babylonem à Rege
 Babyloniorum abducendos, vt ipsis exponeret
 quæ à Deo mandata habuit.
- P**ropter peccata quæ in Deum comisitis,
 captiui Babylonem abducemini à Nabu-
 chodonosor Babyloniorum Rege.
- 2 Itaque Babylonem ingressi, eritis ibi multis
 annis multoque tempore ad septimam vsque
 progeniem: postea verò inde cum pace vos e-
 ducam.
- Esa. 44. b. 10** 3 Hoc quidem tēpore videbitis deos aureos,
 argenteos, ac ligneos, qui in humeris porten-
 tur, intentantes metum Gentibus.
- 4 Cauete igitur ne similitudine vos ad exte-
 rarum Gentium mores, ritúsque conformeris,
 eorúmque deorum metu terreamini.
- 5 Quí videbitis turbam antè & post eos ado-
 rantem, mente potius ac cogitatione vestra
 dicite, Te Domine oportet adorare.
- 6 Nam angelus quidem meus vobiscum est,
 vestrarum vindex animarum.
- 7 Lingua enim illorú à fabro polita est, ipsaq;
 idola auro argentóque obducta vana sunt, lo-
 quendi facultate destituta.
- 8 Et sicut virgini ornamentum apperenti aurú
 sumunt,
- 9 Coronásque conficiunt, quas suorum deorú
 capiti imponunt. euenit autem aliquando, vt
 sacerdotes aurum à suis diis ablatum in vsus
 suos consumant,
- 10 Aut etiam meretricibus domesticis imper-
 tiant: ipsos rursus deos argenteos, aureos, li-
 gneósque vestimentis quasi homines exor-
 nant.
- B** 11 Hi autem ab ærugine & tinea ne vendicare
 quidem se possunt:
- 12 Quáuis veste purpurea eos induant, eorúm-
 que faciem extergant propter puluerem qui
 è domo copiosus super eos excitatur.
- 13 Sceptrum etiam habet in manu vt quidam
 regionis gubernator, qui tamen in se peccan-
 tem non occidit.
- 14 Præterea pugionem gestat in dextera atque
 securim, qui se à bello latronibúsque non eri-
 piat. quibus ex rebus facillè intelligitur, illos
 non esse deos,
- 15 Ne ergo timueritis eos: quemadmodú enim
 vas hominis comminutú inutile efficitur, ita
 istorum dii existunt
- 16 In ædibus collocati, quorum oculi opplen-
 tur obsiti puluere pedibus ingredientium ex-
 citato.
- 17 Et sicut cuiusdam qui Regem læsit atria cir-
 cumspecta claudi solent, aut ei qui ad suppliciú
 capitis ducendus est. ita sacerdotes ædes eorú
 ostiis, claustris ac vectibus muniunt, ne à latro-
 nibus expolientur.
- 18 Lucernas eis accendunt, & quidem plures
 quàm sibi ipsis, quarum nullá videre possunt:
 quippe qui instar trabis sunt in domo.
- 19 Corda verò illorum aiunt elingi à serpen-
 tibus qui è terra existunt, à quibus cum vesti-
 mentis suis exeduntur, nec sentiunt.
- 20 Facies eorum nigrescunt, fumo in ædibus
 orto ofuscata.
- 21 Supra corpus illorum & caput noctuæ atq;
 hirundines, cæteræque aues volitant, eodém-
 que aditum etiam feles habent.
- 22 Vnde cognoscetis non esse deos: ne ergo
 illos timueritis.
- 23 Neque verò auro, quo ad speciē ornatúmque
 sunt vestiti, vnquam fulgebunt, nisi quis situm
 absterferit: neque enim tum quum conflaren-
 tur, vllum sensum habebant.
- 24 Ea omni pretio empta sunt, quibus nullus
 inest spiritus. **Esa. 46. b. 7**
- 25 Pedibus destituti portantur humeris homi-
 num, suam ipsorum ignominiam hominibus
 ostentantes: cultores etiam illorum pudore
 afficiuntur.
- 26 Ne si fortè aliquod eorum ceciderit, resur-
 gere non queat: aut si rectum fuerit, seipsum
 commouere: aut si inclinatum, seipsum eri-
 gere non possit: planè tanquam mortuis do-
 naria eis apponuntur.
- 27 Sacrificiis autem illorum venditis sacerdo-
 tes abutuntur, eodemque modo mulieres ab
 iisdem in penum recondentes atque asseruan-
 tes, nihil inde inopi infirmóque impertiunt.
- 28 Sacrificia denique illorum menstruata mu-
 lier & puerpera contingunt. quamobrem quí
 ex his intellexeritis non esse deos, non est cur
 illos timeatis.
- 29 Nam vnde vocentur dii? an quia mulieres
 ad deos aureos, argenteos, & ligneos donaria
 deponunt?
- 30 Sacerdotes autem tunicas scissas habentes,
 & caput barbámque rasam in ædibus ipsorum
 sedeant, quorum capita detecta nudaq; sunt?
- 31 Coram autem diis suis, quasi hi qui in con-
 uiuió epulóque lamentantur funebri, vocife-
 rantes rugiunt?
- 32 Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, &
 vxores suas in deliberosque vestiunt. **D**
- 33 Neque verò siquid mali ab aliquo eis infer-
 tur, aut aliquid boni confertur, possunt repen-
 dere,

dere, nec Regem constituere, aut eum regno abdicare.

- 34 Neque item diuitias cuiquam, aut aes etiam dare possunt. Quod si quis vorum eis nuncuparit, nec reddiderit, illud quidem nunquam requirent.
- 35 Periculo mortis hominem nunquam liberabunt, neque imbecillum à potentiore eripient.
- 36 Homini cæco visum non restituent, nec in necessitate constituto opem ferent.
- 37 Viduę non miserebuntur, nec in pupillum, vllum beneficium conferent.
- 38 Lapidibus erutis è monte similia sunt ista lignea, aurata, argentataque idola: qui verò ea colunt, pudore afficientur.
- 39 Quomodo igitur illi aut habendi sunt dij, aut appellandi?
- 40 Quum ipsi quoque Chaldæi dedecus illis concilient, qui si viderint mutum loquendi facultate destitutum, adhibito Belo, vt loquatur, postulant,
- 41 Quasi ille vllum sensum habeat: atque hæc quum ipsi animaduertant, non tamè possunt missa facere, vt qui sensu quoque ipsi careant.
- 42 Iam mulieres funiculis accinctę ad vias sedent furfures adolentes.
- 43 Ac quum quæpiam ipsa ab aliquo prætereunte ad stupri consuetudinem adducta attractaque fuerit, alteri exprobrat quòd nõ digna, sicut ipsa, habita sit, nec funiculus eius fuerit diruptus.
- 44 Omnia autem quæ sunt in illis, falsa sunt: quomodo igitur existimandum aut dicendũ, illos esse deos?
- 45 A fabris autem atq; aurificibus effecta sunt, neque aliud esse possunt quàm quod artifices ea esse voluerunt.
- 46 Ipsique illorum effectores vitam minimè diuturnam obrinebunt. quomodo igitur ea quæ ab illis sunt effecta, dij esse possunt?
- 47 Etenim mendaciũ posteris opprobriũq; reliquerunt.
- 48 Nam simulatque bellum, malaque aliqua fuerint illata, consultant sacerdotes apud se, vbinam cum idolis suis abdantur.
- 49 Quid est igitur cur non existimemus eos nullo modo esse deos, qui neque in bello, nec in malis cæteris tueri se ac cõseruare possunt?
- 50 Nã lignea quum sint, & auro argentõq; obducta, ea falsa esse posthac facile intelligetur. Omnibus Gëribus ac Regibus notum erit nõ esse deos, sed opera manibus hominũ effecta, nec vllum Dei opus in his esse.
- 51 Qua re igitur cognoscantur quòd non sunt dij.
- 52 Neque enim Regem regioni alicui præficiant, nec hominibus pluuiam dabunt,
- 53 Nec iudicium inter eos cõstituent, nec quũ sint imbecilles, iniuriam propulsabunt: sunt enim quasi corniculæ inter cælum & terram

pendentes.

- 54 Etenim quum ignis in domum deorum ligneorum, auratorum, aut argentatorum illatus fuerit, sacerdotes quidem fugient, atq; incendium euadent, ipsi verò in medio quasi trabes conflagrabit.
- 55 Nec verò Regi aut hostibus vnquã resistent: quomodo igitur existimandi, aut recipiendi quasi sint dij?
- 56 Nec fures quidem & latrones effugere salui poterunt dij lignei, & auro argentõque induti: quum illi istis potentiores,
- 57 Aurum, argentum, vestitumque quo sunt amicti, ablarum habentes secum abeant, nec isti sibi ipsi opem ferant.
- 58 Potior itaque est Rex suam declarans fortitudinem, aut vas in domo vtile quod domino sit vsui, quàm falsi fictique dij: potior domus ianuã, quæ in ea sunt custodiens, aut columna lignea regiarum, quàm dij falsi.
- 59 Nam sol quidem & luna, reliquaque sydera quum sint luminosa & splendida, & quæ ad vsus necessarios emittuntur, facile obediunt.
- 60 Similiter & fulgur, quum emissum emicari, conspicuum est & aspectabile: eodẽque modo ventus qui omnem perflat regionem.
- 61 Et nubes totum orbem permeare iussã, ipsam mandatum obeunt atq; perficiunt.
- 62 Ignis etiam ad consumendos montes, syluasque desuper emissus, facit quod madatum est: hæc verò nullam neq; formam, nec vim habent, vt illis similia videantur.
- 63 Ex quo dij nec habendi sunt, neq; appellandi, quum nec iudicium exercere possint, nec vllum in homines beneficium conferre.
- 64 Itaque ne meruatis ipsos quum cognoueritis non esse deos.
- 65 Nec enim Regibus vnquam aut benedicet, aut maledicent.
- 66 Neque in Gentibus signa dabunt, neque in cælo: neque vt sol lucebunt, neque vt luna illuminabunt.
- 67 Bestiæ illis sunt præstantiores, quæ sub retum possunt confugere, ac sibi ipsa prodesse.
- 68 Manifestum est igitur nobis, eos nullo modo esse deos, quare ipsos ne timueritis.
- 69 Nã quod est in cucumerario terriculamentum nihil defendens, hoc sunt istorum lignei, inaurati atq; inargentati dij.
- 70 Instar spinæ hortensis, cui quæuis auicula insidet, denique cadaueri in tenebris proiecto similes sunt dij eorum lignei, aurati & argentati.
- 71 A purpura autem & splendore super illos marcescente cognoscetis non esse deos, ipsi etiam postremò exedentur, omnique regioni opprobrium afferent.
- 72 Præstat igitur homo iustus qui caret simulachris: longissimè enim ab ignominia & dedecore aberit.

EE 4